



# DISPUTATIO DE ANIMA SEPARATA,

§. I.



**D**E animâ igitur rationali acturi pri-  
mo omnium notam est statum eius esse du-  
plicem; Informationis scilicet, quem ali-  
is Aa. conjunctum vocitare consueverunt,  
& separationis. Status conjunctus ille di-  
citur, quô anima nostra suo juncta est cor-  
pori & cum eô hominem in suâ specie con-  
stituit. Statum separatam appellant, in quô anima nostra  
post mortem à corpore sejuncta degit. Pro diversitate jam  
statûs etiam anima nostra ad diversas disciplinas referri assolet:  
etenim si consideratur in statu conjunctionis, prout scilicet est  
forma corporis organici, spectat ad Philosophiam secundam,  
quia sic est pars essentialis hominis, ut corporis naturalis, adeo-  
que principium motûs physici. Sin verò ejus spectatur sta-  
tus separationis, tunc ipsa pertinet ad Philosophiam primam,  
quippe quæ agere solet de iis, quæ abstrahunt à materiâ sensi-  
bili re & ratione, quale quippiam est anima rationalis hõc mo-  
dò considerata.

§ 2. Sed ulterius sciendum, quòd prædicata, quæ animæ  
in statu separationis spectatæ attribuuntur, non sint ejusdem ge-  
neris; quædam enim non nisi ex divinâ revelatione cognoscun-  
tur v.g. quòd anima à corpore sejuncta extremò die corpori re-  
unienda sit, quòd subire debeat judicium, & eò factò vel æternâ  
frui beatitudine vel igne torqueri inf rnali: sub hâc ratione  
anima spectatur in Sacro-sanctâ Theologiâ. Deinde eadem  
G confi-